



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 3. De fornicatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

non in solitudine, non in tenebris. 4. Suis utrimque parentibus mox significant animum suum, optentque per illos, quoad fieri potest, res ista potius agatur. Post hæc, ut eâ, quâ fas est indagine, in hoc collocatâ, connubium quâm citissimè maturent. Et denique altè pectori insculpant, quod nulla matrimonii intentio, ne ipsa quidem sponsalia inter futuros conjuges, quascumque tum facti, tum verbi impudicitias, aut libidinosæ voluntatis motiones excusare valeant.

C A S U S IV.

Caupo choreizantibus, ad cerevisiam ducentibus &c. aedes suas, aut certum in iis locum concedit, admonetur à Confessario, quod alienorum peccatorum siat particeps, animo statuit omnes ad se venientes recipere, singulis & vinum, & cerevisiam promere, allegans, quod familiam suam his, aliisve modis alere debeat. Queritur, an Confessarius licet dicitur cauponi impertiatur absolutionis beneficium?

R. Nequaquam: Paratus enim est cooperari alienis peccatis. Si enim S. Car. Borom. voluerit non absolviri illum, qui servaret domum suam paratam iis, qui illam frequentare solent gratiâ ludendi aleis, chartis &c. multò minus ille absolvendus erit, qui suam choreizantibus pararam servat, vel actu in domum recipit.

§. 3. *De Fornicatione.*

Fornicatio simplex, quæ est concubitus soluti cum soluta, peccatum mortale est. Aliter docuerunt Nicolaitz, quidam Rabbini, Anabaptisti

sta

60 TRACTATUS DE PECCATIS.

stæ &c. quæ, qui faciunt, digni sunt morte. Ad Rom. i. Neque fornicarii, neque idolis servientes &c. regnum Dei possidebunt. 1 Cor. 6.

Fornicatio etiam jure naturæ est interdicta, quia dicit inordinationem gravem, cùm sit omissionis debiti ordinis, quæ jure, & instituto naturæ est necessaria in illo actu ad prolis complementum.

1. An concubinatus sit simplex fornicatio?

Notandum, quòd in fornicatione sint aliqui gradus; vel enim committitur cum femina determinata, quam quis velut ex consuetudine cognoscit, sive illam domi habeat, sive non, & vocatur concubinatus: vel committitur cum meretricibus palam expositis, & est meretricium: vel cum aliis non expositis, & retinet nomen simplicis fornicationis.

2. Simplex concubinatus non differt specie à simplici fornicatione, licet addat actui circumstantiam aggravantem, & necessariò exprimendam, quia alia est conditio hominis ex infirmitate cadentis, alia ex destinata malitia.

2. An primâ vice concubinarius sit absolvendus, etiamsi concubinam non abjiciat?

3. Ordinariè primâ vice absolvendus non est, quia domi retinere concubinam, est amare occasionem proximam peccati. Verumtamen cùm pœnitens numquam promiserit emendationem à tali delicto, nec propositum fregerit, conjectura certa sumi non potest semper, præsens propositum dimittendi esse fictitium, modò scilicet promittat se quād primū dimis-

missurum; quia qui numquam emendationem est pollicitus, argui solum potest de continuacione sui peccati, non tamen de fracta fide; ergo si serio proponat, & nihil obstat, correptum absolvat, adhibitâ cautelâ, ut, si reincidat, & non dimittat, revertatur. Aliter judicandum si bis, vel ter fidem fregerit.

C A S U S V.

Quid faciendū, dum pœnitens dicit: sum forniciatus?

Bz. 1. Inquirenda est personæ confitentis qualitas, & complicis, an peccaverit cum virgine? An cum persona conjugata? &c. 2. An per vim, fraudem, & dolum virginem deceperit? 3. An non sit gravida? Si respondeat quod non, interrogandum, unde hoc sciat? An forte non impediverit conceptionem? Quod ordinariè variis fit modis. 4. An saepius cum illa persona hoc peccatum commiserit? Et ita ex modo confitendi colliget confessarius, an consuetudiniorum sic adscribendus catalogo, an relabentium, an ex fragilitate peccaverit, an ex malitia.

Regulæ dignoscendi peccata fragilitatis.

1. **S**i gravi illectus tentatione, vel improvisa occasione circumventus peccato succubuerit.
2. Si media ad peccatum istud, in quod antea lapsus est, fugiendum, vel à confessario prescripta, vel aliude sibi nota adhibere studuerit.
3. Si cum renitentia, & lucta adversus tentationem cadat.
4. Ut de peccato commisso non diu post doleat.

CA-